



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXI. Quinam actus sint fortitudo, pietas, timor, & consilium? Qui dono
Spiritus Sancti specialiter tribuuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

C. XX. Quis sit actus scientiæ dono Spiritus Sancti specialiter attributus. 427

Ratio diffin-
tionis scien-
tiæ à sapien-
tiâ.

quod sapientia iudicat in materia supernaturali de
conuenientia eius per æternas, & diuinas rationes ad
Deum ipsum, & attributa eius, ac honorem ipsius
pertinentes. Scientia vero per rationes inferiores, &
creatas, vel humanas de eisdem rebus iudicium pro-
fert. Vt v. g. scientia iudicat peccatorum permissio-
nem fuisse conuenientem ad seruandam libertatem,
& ad vniuersi complementum. Sapientia vero iudicat
id fuisse conueniens ad ostensionem diuinæ iusti-
tiæ, & sapientia, quæ nouit ex malis bona facere.
Item scientia iudicat, paucos saluari propter propen-
sionem hominis ad peccandum, & difficultatem vir-
tutis: sapientia vero fieri iudicat ad ostensionem gra-
tiae Dei, & pleni dominij voluntatis eius, &c. Confir-
mari hoc potest, quia ita solent apud Philosophos (su-
mi nomina scientiæ, & sapientiæ, & in hoc distingui,
quod sapientia est sub rationibus æternis, & scientia
sub temporalibus. Sic enim Arist. lib. 1. Metaph. cap. 2.
dicit sapientiam primas causas considerare, & ex illis
iudicare. Et 6. Ethicor. cap. 3. & 6. sapientiam distin-
git à scientia tanquam conuenientem cum illa in
genere scientiæ, & habentem in eo excellentiam
quandam ex eo, quod circa res altissimas, & circa ipsa
etiam principia perfectissimo modo versetur. Ergo
non immerito creditur, etiam Scripturam in enu-
merandis Spiritus Sancti donis, imo etiam regulari-
ter in vñ illarum vñ, quando illas inter se distin-
guunt, hoc discrimen obseruasse. Nam etiam Spiritus
Sanctus in sermonibus capiti hominum, & vñ
communi vñ se accommodat.

6. *Exhibetur
amplius hac
agendi.*

Recte igitur actus sapientiæ, & scientiæ peculiari-
ter Spiritui Sancto attributi intelliguntur conuenire
inter se in modo, quo circa mysteria fidei versantur,
differe autem, quia sapientia modo altiori, & per ra-
tiones longe superiores munus suum, quam scientia
exercent. Et hoc modo intelligenda est doctrina, quam
sæpe Augustinus inter sapientiam, & scientiam tra-
dit, quod sapientia circa diuina, & æterna, scientia
circa humana, & temporalia versatur. Nam de sa-
pientia, & scientia naturali ita loquitur lib. 12. de
Trinit. cap. 12. & vocat scientiam actionis, id est, quæ
ad vñ huius actiones deseruit. In dicto autem lib.
13. cap. 19. agens de cognitione supernaturalium my-
steriorum, dicit. *Quæ pro nobis Verbum caro factum tem-
poraliter, & localiter gessit, & perculit, ad scientiam pertine-
re, non ad sapientiam. Quod autem verbum est sine tempore
Patris æternum ad sapientiam spectare.* Et lib. 14. cap. 1.
declarans descriptionem vulgarem sapientiæ, quod
sit diuinarum, humanarumq; verum scientia, ait, secundum
distinctionem, quæ dixit Apostolus. Alij datur sermo sapientiæ,
alijs sermo scientiæ: ista definitio diuidenda est, vt verum diui-
narum scientia proprie sapientia nuncupetur, humanarum
autem proprie scientia nomen obtineat.

7. *Exhibetur
diffin-
tionis scien-
tiæ à sapien-
tiâ, non
materiali-
ter.*

Ex istis autem hanc distinctionem formaliter
magis, quam materialiter esse intelligendam, nam
etiam si cognitio sit diuinarum rerum, si per inferiores,
& creatas rationes cognoscantur, vel elucidan-
tur, scientia est: & conuerso etiam si res creditæ hu-
manæ sint, si per rationes superiores cognoscantur,
erit sapientia. Additq; ibidem Augustinus, per scien-
tiam fidem saluberrimam, quæ ad veram beatitudi-
nem ducit, gigni, nutrir, defendi, ac roborari. Quod
ille de acquisita scientia tradit, potest tamen cum
proportionem de dono scientiæ intelligi. Nam etiam
potest hoc munus suo peculiari modo circa mysteria
fidei æterna, & increata præstare, & conuerso sa-
pientia potest de mysterijs, seu rebus temporalibus,
vñ sunt opera, & passio Christi Domini suo modo iu-
dicare, & ita possunt in materia conuenire, & nihilo-
minus ex ratione, & medio iudicandi distingui. Hinc
vero etiam fit, vt sapientia principalis, & magis ex
instituto res diuinas, & supremas consideret, quam
scientia. Vnde D. Thom. quasi verumque coniungens
2. 2. quæst. 45. artic. 1. de sapientia dixit ad eam per-
tineret causam altissimam, & per eam de alijs certissi-

me iudicare, & secundum eam omnia ordinare. Et
ita etiam intelligendum est, quod ait quæst. 8. art. 6.
ad sapientiam, & scientiam pertinere iudicium re-
ctum; quo homo iudicat rebus fidei esse inhæren-
dum, & ab earum oppositis esse recedendum: hoc ve-
ro iudicium quantum ad res creatas, pertinere ad
donum scientiæ, quantum vero ad res diuinas, ad
donum sapientiæ spectare. Intelligendum enim hoc
puto per se primo, ac principaliter, consequenter ve-
ro posse verumque donum extendi ad omnia sub ra-
tione propria, quantum illa capax fuerit. Et ita tan-
dem explicuit idem D. Thomas. 2. 2. quæst. 9. artic. 2.
ad 3.

Quibus addi tandem potest, differre sapientiam à
scientia, quia sapientia peculiariter fundatur in qua-
dam spirituali experientia ex connaturalitate ad
charitatem Dei: scientia vero non ita fundatur in
charitate, sed in alijs inferioribus rationibus. Vnde
omnes rationes fundatæ in Dei bonitate, & dilectio-
ne ipsius secundum se, vel ad eius gloriâ, & manifesta-
tionem attributorum eius pertinentes, quæ dispo-
nunt intellectum ad adhaerendum mysterijs diuinis,
ac reuelatis, pertinent ad sapientiam: quæ vero spe-
ctant ad hominis felicitatem, vel salutem etiam su-
pernaturalem, pertinere ad scientiam, præsertim si
procedat ex affectu ad proprium commodum. Nam
inde etiam potest homo bene disponi ad iudicium
huius scientiæ. Ideoque non immerito dici potest,
quod sicut sapientia fundatur in Charitate Dei, ita
scientia, vt sit perfecta in hoc genere fundari debet in
affectu bene disposito ad salutem, & felicitatem su-
pernaturalem, vt bonum proprium hominis est,
quem affectum in superioribus diximus ad habitum
spei pertinere. Vnde non improbabiler dici potest,
sicut sapientia annectitur charitati, & intellectus
fidei, ita scientiam annecti virtuti spei, & habere con-
naturalitatem quandam cum amore concupiscen-
tiæ Dei, quatenus in illo fundari possunt præcipuæ
rationes inferioris ordinis ad hanc scientiam perti-
nentes.

Vltimo ex dictis explicata in genere manet di-
stinctio horum trium actuum ab actu consilij, quia
illi tres speculatiui sunt, vel in materia, vel in modo
vniuersali: consilium vero est actus omnino practi-
cus, & per applicationem ad particularia cum circun-
stantijs hic, & nunc determinatis. In quo etiam dif-
fert ab actu fidei, sicut de prudentia dictum est. Non-
tamen explicata est specifica ratio huius consi-
lij, in qua differat à iudicio prudentiæ non tantum
acquisitæ, sed etiam infusæ. Hoc vero explicari recte
non potest sine alijs actibus moralium donorum ad
affectum pertinentium, & ideo in sequenti capite ex-
plicatio huius actus consummabitur.

C A P V T XXI.

Quinam actus sint fortitudo, pietas, timor, & con-
silium, qui dono Spiritus Sancti speciali-
ter tribuuntur?

A Vthores, qui negant dona distingui à virtutibus
secundum rem, sed tantum secundum denomi-
nationem, vel aliquam accidentalem perfectionem,
multo facilius de his actibus moralibus idem testan-
tur. Nam si nomina attendamus, fortitudo quædam
virtus moralis est. Pietas, ibi significat religiosum
cultum erga Deum, & ita idem est, quod religio;
quæ altera virtus moralis est. Timor vero varijs mo-
dis explicatur, nullus autem assignatur qui non sit
alicuius virtutis actus. Hieronymus enim expli-
cat esse timorem Dei seruilem, rectum scilicet, &
moderatum, id est, timorem Dei, prout iustas poenas
minatur. Vnde significat, non esse prædictum de

Christo propter ipsum, sed propter membra eius. Et idem sentit Gregor. Homil. 19. in Ezechiel. dicens, hunc timorem esse, quem charitas excludit. Et de eodem videtur exponere Augustinus libro 2. de Doctr. Christian. cap. 7. Alij vero exponunt de timore filiali, quem esse actum à charitate elicitum, & ipse D. Thomas, & fere omnes fatentur, & de utroque dixi in materia de Pœnitent. & de Incarnat. Alij de timore reuerentiali hunc actum exponunt: nam hic est proprius, qui in Christo fuit, de quo, vt dixi, Propheta loquitur, hic autem timor est actus humilitatis, vt infra dicam. Alij denique timorem illum generaliter accipiunt, prout solet per timorem Dei perfecta iustitia, & obedientia ad Deum significari. Sic enim hominem seruantem perfecte Dei legem, timentem Deum appellare solemus: estq; modus loquendi Scripturæ factis communis. Et insinuat Cyrill. lib. 2. in Isaiam dicens de Christo. *Quod autem non particularem ei gratiam addiderit, &c. planum facit Propheta dicens, & complerit eum spiritus timoris Domini.* Hæc ergo tria dona voluntatis recte ad alias virtutes morales, seu voluntatis reducuntur, & consequenter nomine consilij intelligitur prudentia, non oportet ergo multiplicare, vel distinguere sine fundamento hos actus ab actibus virtutum infusarum.

2. Vnde Patres cap. 12. allegati, præsertim Ambrosius *Probatur 2. hæc dona virtutes vocant, ita enim de illis loquuntur, vt distinctionem inter illa & virtutes non videantur agnoscere.* Hieronymus enim in Isaiam, ait, Spiritum Sanctum illis nominibus nuncupari, quia cum virtutum fons sit. Cyrillus, in hoc flore (ait) quieturum Spiritum multis virtutibus pollentem. Ambrosius libro primo de Spiritu Sancto ait, esse virtutes spirituales, & illo numero significari plenitudinem virtutum. Et in hoc sensu, videtur dicere Augustinus lib. 1. Quæstionum Euangelicarum q. 8. septem spiritus malos opponi septem spiritualibus virtutibus. Imo & Gregor. ita loquitur lib. 1. Moral. cap. 28.

3. Ratione idem suadere possumus, quia nisi distinguantur motiua, non possunt distinguere actus virtutum, vt supra visum est: hic autem non possunt motiua distinguere, quia Religio, verbi gratia, semper colit Deum propter suam excellentiam singularem, vel naturalem, vel supernaturalem nostro intelligendi, & loquendi modo, tantum ergo esse potest vel acquisita, vel infusa, non enim videntur posse distinguere vt magis, vel minus supernaturale, quia hæc differentia accidentaria est. Vnde quod actus fiat ex motione Spiritus Sancti maiori, vel minori, aut ordinaria, vel extraordinaria, sola distinctio accidentalis videtur. Nani omnibus his modis possunt fieri actus virtutum infusarum magis, vel minus perfecti, & virtus quælibet moralis inclinatur ad omnem honestatem suæ materie proportionatam, siue per rationem, siue per Spiritum Sancti specialem instinctum ostendatur.

Confirmatur primo, quia actus donorum solum distinguuntur eo modo, quo Arist. 7. Ethicorum cap. 1. distinguit actum virtutis communis ab actu virtutis heroicæ. Vel sicut in 7. Ethicorum. ad Eudem. refert actus virtutum, qui sunt ex propria consultatione, vel qui sunt ex aliquo superiori instinctu. His enim exemplis vtuntur authores ad explicandos hos actus, sed vel actus virtutis communis, & heroicæ, vel facti ex instinctu Dei authoris naturæ, vel communi modo, non distinguuntur essentiali perfectione, vt constat; ergo. Confirmatur secundo, quia si in materia virtutum moralium, distinguerentur actus donorum ab actibus virtutum, cur non idem fieret in virtutibus Theologicis? in his autem non fit talis distinctio secundum omnes: ergo nec in illis fieri debet. Simile argumentum fieri potest de actibus octo beatitudinum quas Mach. 5. Christus enumerat. Nulla enim maior ratio occurrit, cur septem actus enumerati ab Isaiâ censeantur distincti ab omnibus virtutibus, quam beatitudines, vel fructus: sed hi non sunt

actus distincti ab actibus virtutum ex omnium sententia; ergo nec illi distinguendi sunt.

Nihilominus contrariam sententiam grauiores Theologi amplectuntur, D. Thom. Bonauent. Alber. Richar. & alij cap. 12. allegati. Estque satis consentanea Patribus præsertim Gregor. libr. 2. Moral. cap. 26. alias 36. & alijs locis supra citatis. Magisque spirituale, & internam perfectionem, & Spiritus Sancti in nos operationem commendat, & declarat, ac denique potest optima ratione declarari, ac suaderi, ideoque à nobis vt probabilior defenditur. Et in primis dubitandum non est, quin hæc dona distinguantur à virtutibus moralibus acquisitis, in quo certe prior opinio Scot. & Gabriel. magnam vim facit quando Scripturis, & Patribus. Sentiant enim hæc dona infundi omnibus iustis, quod non esset verum, si essent

tantum ipsæ virtutes acquisitæ. Ergo aperte numerant hæc dona inter gratias maxime supernaturales, & à Spiritu Sancto specialiter infusas. Imo inde per antonomasiam dicta sunt dona, vt esse à Spiritu Sancto singulariter infusa significarentur: nam solet nomen doni in Scriptura perfectionibus per se infusis specialiter, & omnibus illis generaliter attribui. Sic enim fides dicitur Dei donum ad Ephes. 1. & in hac significatione videtur accipi Iacobi 1. cum dicitur. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, &c.* Eodemque modo August. 15. de Trinit. cap. 18. dicit inter dona Dei maximum esse claritatem. Ac denique sic accipit nomen doni Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. cum dicit iustificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. S. Thom. etiam ad hoc considerat, hæc dona vocari spiritus ab Isaiâ, vt significaretur dari ex speciali inspiratione Spiritus Sancti. Et licet verum sit, Isaiam non tam actus ipsos vocare spiritus, quam ipsum Spiritum Sanctum ab his effectibus appellasse spiritum consilij, fortitudinis, &c. Vnde & ab Ecclesia septiformis spiritus appellatur, nihilominus non minus efficaciter inde ostenditur, esse hos peculiare effectus Spiritus Sancti, cum ab ipsis singulariter nominetur, ac proinde esse actus per se infusos, ac supernaturales. Sic ergo horum donorum distinctio à virtutibus moralibus acquisitis satis fundata est autoritate. Vnde si hæc dona non distinguuntur à virtutibus infusis: quæ ratione supra probauimus distinctionem virtutum infusarum ab acquisitis, eorum distinctio ab eisdem virtutibus acquisitis probanda est: si autem etiam ab infusis virtutibus distinguuntur dona, à fortiori ab acquisitis distinguuntur.

Quod ergo actus donorum moralium sine distincti specie ab actibus virtutum moralium infusarum, non potest melius explicari, quam ratione D. Thomæ. Quia actus morales distinguuntur ex diuersis motiuis, & motiua ipsa per conformitatem ad diuersas regulas operandi, sicque distinctimus motiua virtutum moralium acquisitarum, & infusarum, quia illa sumuntur per conformitatem ad naturalem rationem, & regulam ordinis naturalis, hæc vero per conformitatem ad regulam fidei, & regulas supernaturales. Sed vltra has regulas datur alia superior, quæ est motio Spiritus Sancti: ergo per conformitatem ad illam sumitur speciale motiuum, in quo peculiaris ratio honestatis inuenitur, per quâ possunt optime actus donorum ab actibus virtutum distinguere. Ergo ita distinguendi sunt, vt homo per dona gratiæ omnibus modis perficiatur. Minor explicatur, quia in actibus virtutum etiam infusarum homo se mouet iuxta regulas rationis, in his vero actibus mouetur per conformitatem ad instinctum Spiritus Sancti, quæ est regula longe diuersa, & sæpe ab alijs regulis rationis discordat, vt discurrendo per singulos actus, & respondendo in contrarium obiectis magis elucidabitur. Posset tamen confirmari iuxta sententiam supra tractatam, quæ dicebat ad distinguendos actus supernaturales à naturalibus non oportere in obiectis

Confirmatur
1. in 1.

Confirmatur
1. in 2.

obiectis inuenire diuersitatem, sed ex modo tendendi, & nobiliori modo operandi ex parte potentiae, seu principiorum eius posse distinguere. Hæc enim sententia (vt dixi) potest habere locum, quando motiuum operandi proportionatum fuerit vtrique actui, & virtuti inferiori, ac superiori, a quibus procedunt: quod in actu naturali, & supernaturali locum non habet, vt ibidem ostendi. In præfenti autem optime posset inueniri, etiam alia ratio distinguendi hos actus nobis deesse. Quia motiuum operandi in his actibus est supernaturale, & ideo licet daremus non esse inproportionatum virtutibus infusis moralibus, nihilominus poterit Spiritus Sanctus mouere hominem ad operandum ex eodem motiuo, seu ob eandem honestatem fortitudinis, vel temperantiae alteri modo, & ex peculiari instinctu suo. Multo vero melius, & facilius hoc intelligitur, considerando ex illo peculiari modo motionis, & instinctus Spiritus Sancti, diuersum motiuum, distinctamque operandi rationem resultare, vt dictum est.

De actu consilij.

6. **E**xplicaturque melius declarando prædictos actus ab illis numeratos, qui primo loco posuit Consilium, sub qua voce practicum iudicium ad operandum mouens indicatum est, quia est tale, vt non tam consilio proprio operantis, quam Spiritus Sancti mouentis feratur. Vnde respondet quidam prudentis, & in eadem materia versatur, longe vero aliter in ea iudicat. Nam prudentia naturalis per proprium hominis discursum applicat generalia principia naturalia ad particularem actum, vel occasionem operandi, & iuxta illa iudicat, qd agendum sit. Et simili modo procedit infusa prudentia ex principiis, ac regulis reuelatis. At vero hoc consilium Spiritus Sancti conuenit quidem cum iudicio prudentiae in modo practice iudicandi, in quo differt ab alijs tribus in donis intellectus: differt tamen ab alijs iudicijs practice practici in regula, & principio, cui nititur, quia fundatur solū in instinctu Spiritus Sancti, qui sæpe est præter ordinarias regulas tam supernaturales, quam naturales, & licet interdum esse possit illis conformis, homo, qui sic mouetur, nō alias regulas attendit, nec discursu quasi proprio mouetur, sed agitur potius, q̄ agat.

7. Et quidem hunc operandi, & iudicandi modum posse in hominibus iustis inueniri, manifestum est, quia Spiritus Sanctus, qui supremus Dominus est nostræ voluntatis, non obstringitur legibus vel naturæ, vel gratiæ, estq̄ omnipotens ad mouendas hominum mentes, quo voluerit, & prout voluerit. Sæpe autem vt hoc dominio, & potestate, supponit Innocent. 3. in c. Licet de Regul. vbi motionem hanc per instinctum Spiritus Sancti vocat legem priuatam, quam sæpe publicæ legi derogare dicit. Sumpsitq̄ ex Urbano. 2. in c. Dicitur sunt. 19. q. 1. Potestq̄ nonnullis exemplis partim ex scriptura, partim ex historijs Martyrum desumptis ostendi. Nam in primis Sanson, qui se cum Philisthis occidit, Non aliter excusatur, nisi quia Spiritus laetenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat, vt ait Augustin. 1. de Ciuit. cap. 21. Idemque sentit Ambros. lib. 1. de Offici. cap. 4. de Eleazaro, qui sub elephante ingressus, vt illum, & hostes interimeret, suo triumpho sepultus est. eandemque rationem reddit D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4. de quibusdam feminis, quæ tempore persecutionis se ipsas occiderunt, quarum memoriam Ecclesia celebrat. Nam licet de his maiori cum formidine loquatur August. dicto lib. 1. de Ciuit. c. 26. nihilominus vbi confiterit Ecclesiam vniuersam tantum Sanctorum festum celebrare, dubitandum non est, quin idem Spiritus Sanctus, qui Sanctas Martyres mouit, de earundem honesta, & sancta fortitudine Ecclesiam instruxerit, vt sentit idem D. Thomas 2. 2. quæst. 124. artic. 1. ad 2. Et ita de Pelagia Virgine, quæ cum sociabus in flumen se proiecit, vt

virginitatem suam ab hostium iniurijs custodiret, incunctanter sentit Ambros. lib. 3. de Virgini. ante medium. Et simili modo Dionys. Alexandrin. apud Euseb. lib. 6. Historiæ cap. 34. de Apolonia loquitur, quæ cum carnifices ei minarentur, se eam viuam crematuros, nisi verba impietatis cum eis proferret, paululum temporis ad deliberandum precata, & dimissa ex eorum manus in illos in rogam, ibiq̄ assumpta est; & ita vniuersalis Ecclesia die nono Febr. eius festiuitatem celebrat.

His ergo, & similibus exemplis manifestum fit, interdum heri virtute, & instinctu Spiritus Sancti, vt homo interius iudicet practice aliquid esse faciendum; quod secundum communes leges diuinas non esset faciendum: & nihilominus tale iudicium practice verum, ac rectum sit: non enim potest esse iudicium à Spiritu Sancto, quod huiusmodi non sit. Tale ergo iudicium dicimus esse distinctum à iudicio prudentie infusæ, quia non nititur principiis eius, neque medio, aut discursu humano, sed altiori motiuo fundatur, nimirum, quia motio Spiritus Sancti est supra omnem legem. An vero distinctio hæc sit specifica, nec necessarium dicam. Vt autem tale iudicium sit rectum, oportet, vt homini sic moto certo constet Spiritum Sanctum esse, qui mouet, & instigando præcipit. Vnde optime Augustinus dicto lib. 1. de Ciuit. cap. 28. Qui audit, inquit, non licere se occidere faciat si iussit cuius non licet iussa contemnere. Tantummodo videat, vtrum diuina iussio nullo nutu intertoto iudicium enim practicum, quod est regula honestæ operationis, debet ita esse certum, vt practicam dubitationem excludat: hic autem maior requiritur certitudo, quæ formidinem tollat. Nam cum sæpe tale iudicium sit præter generales regulas, & leges, vt ab his licite discordari possit, oportet, vt de Spiritus Sancti instinctu sine vlla formidine constet. Ideoque difficillimum est tale iudicium, & quidam extraordinarius gratiæ modus ad illud necessarius est. Quem licet nos satis explicare non possimus, tamen Spiritui Sancto difficile non est, mentem hominis ita mouere, vt nullum ei relinquat ambigendi locum, quin sit ipse, qui mouet.

Hunc ergo actum dicimus esse speciale donum Spiritus Sancti practicum, & intellectuale, quod respondet prudentiæ, & consilium nominatur, quia consilium, quod in eo interuenit, vt dixi, magis est ab Spiritu Sancto, quam ab homine, versariq̄ potest in omni materia virtutis moralis, vt in materia religionis aliqui putant, votum Iephthæ, & executionem eius (Iud. 11.) fuisse ab hac motione Spiritus Sancti, quod licet necessarium non sit, vt alibi dixi, non est tamen dubium, quin esse potuerit. Idemq̄ dicendum est in materia iustitiæ de iudicio Salomonis. 3. Reg. 3. est enim animaduertendum, quod licet modus hic operandi euidentius cognoscatur in materia, quæ alias esset illicita, non interueniente speciali instinctu Spiritus Sancti, quia in illa est maxime necessarium hoc donum, nihilominus ad illam non limitatur, potest enim Spiritus Sanctus in quacunque materia præuenire hominis discursum, eique singulari modo tale iudicium infundere, & ita in Salomone contingere potuit.

De actu fortitudinis doni.

10. **A**tp̄ hinc facile explicantur dona ad voluntatem spectantia. Et in primis donum fortitudinis ab adæquata materia denominatum est, in qua conuenit cum virtute fortitudinis, quæ circa pericula præcipue mortis subtinenda, & aggredienda versatur. Idem enim præstat actus fortitudinis, qui est ex dono, vt patet in exemplis adductis de Sansone, & alijs. Quæri autem potest, an hic actus, quando fit ex dono, fiat etiam ex virtute infusa. Quidam affirmant, iuxta quorum sententiam actus doni fortitudinis non differt substantia, & specie ab actu virtutis infusæ,

8. Concluditur doctrina ex prædictis exemplis.

Quæ certitudo requiritur, quod Spiritus Sancti mouentis.

9. Donum est consilij in omni virtute moralis dari potest.

10. Conuenientia virtutis, & doni fortitudinis.

Dubium. 1. Opinio affirmant. Val. n. diff. 5 q 3 punct.

Probatur.

Confirmatur.

11.
Censura. i.
opinionis.2. *Ex vera
sententia
negans.*Consilium
specie à pru-
dentia di-
stinguitur.

Ratio.

12.
Solutio 1a.
ratio i opinio-
num n. 10.

infusa, sed tantum denominatione, & principio, idem enim actus, ut sit ex instinctu Spiritus Sancti, dicitur donum, ut sit à virtute, dicitur virtus. Potestque hoc suaderi, quia licet homo ex instinctu Spiritus Sancti moueatur ad se occidendum, tamen supposito illo instinctu, seu inspiratione, & obiectum illud sub eadem ratione honestatis representatur, quia supposito nouo præcepto Spiritus Sancti per talem impulsu manifestato, iam in illa materia medium fortitudinis innititur. Sicut medium temperantiæ inuentum in ieiunio Ecclesiastico, licet ex præcepto humano proueniat, nihilominus, supposito præcepto, ad eandem virtutem temperantiæ spectat. Et potest confirmari: nam quando Deus præcepit Abraham sacrificare filium, licet id non esset licitum, nisi ex peculiari præcepto Dei, nihilominus supposito præcepto eadem virtus obedientiæ, eademque virtus religionis ad illum actum eliciendum concurrebant. Item quæ reuelantur à Deo priuata reuelatione, eadem fide creduntur, quæ creduntur cætera catholica dogmata, quia ratio assentiendi est eiusdem ordinis, ergo similiter in præsentis actus fortitudinis, licet sit ex speciali instinctu Spiritus Sancti, elicitur ab eadem virtute fortitudinis, quia honestas fortitudinis eadem est, facta illa suppositione.

Hæc sententia est absolute probabilis, non tamen videtur mihi posse consequenter defendi, si teneamus, habitus donorum esse distinctos à virtutibus infusis moralibus, ut iidem authores cum D. Thoma tenent. Ad quid enim est necessarius specialis habitus doni fortitudinis, si actus semper elicitur à virtute infusa fortitudinis? Superuacaneum est enim circa eundem actum habitus multiplicare. Imo vix poterit intelligi distinctio inter habitus, si ad eundem actum efficiendos, & consequenter ad eandem obiecta, & sub iisdem motiuis ordinantur. Supposita ergo sententia de distinctione donorum à virtutibus, quam cum S. Thoma defendimus, dicendum est, actum fortitudinis, prout ad donum spectat, esse in specie, & substantia sua distinctum ab actu virtutis infusæ, & consequenter non elici à propria virtute morali, sed ab altiori principio. Idemque dicendum est de actu doni consilij, esse nimirum distinctum ab actu virtutis prudentiæ, quæ sæpe non posset per se iudicare, in tali materia, & occasione aggredi mortem esse actum fortitudinis. Idemque cum proportionem est de cæteris donis voluntatis. Et ratio est, quia motiuum iudicandi, vel appetendi in tali opportunitate sumitur per conformitatem ad altiore regulam, quam sit ordinaria rationis siue naturalis, siue infusa, nimirum ad specialem rationem, & instinctum Spiritus Sancti. Nam veritas practica, vel honestas moralis, quæ inderesultat, non minus differt à motiuo virtutis infusæ, quam hoc differt à motiuo virtutis acquisitæ. Igitur non minus distinguitur actus doni ab actu virtutis infusæ, quam hic distinguitur ab actu virtutis acquisitæ.

Ad obiectionem ergo in contrarium negamus esse idem motiuum etiam posita motione, vel præcepto Spiritus Sancti, quia ratio operandi proxima, seu motiuum formale talis actus non est ratio præcepti, alioqui esset ille actus formalis obedientiæ, non fortitudinis. Motiuum ergo proximum est honestas, quæ in tali materia resultat, posita eiusmodi Spiritus Sancti motione, seu instinctu. Neque tunc medium in tali materia est omnino idem cum medio virtutis, quia sumitur per comparisonem ad diuersa extrema. Cuius signum est, quia sæpe in tali materia recte iudicatur medium per comparisonem ad talem regulam, quod alias in comparisonem ad ordinarias regulas non esset medium, sed extremum. Et ideo non est simile exemplum de medio confligente ex lege publica positiua humana, vel diuina, tum quia virtute per se respiciunt honestatē insurgentem ex con-

formitate ad legem publicam, siue sit naturalis, siue positiua: tum etiam quia leges positiuæ, quando aliquid præcipiunt faciendum, supponunt in tali materia medium alicuius virtutis, & solum ad dunt necessitatē obseruandi illud. At vero motio Spiritus Sancti per se non supponit proprium virtutis medium, sed quasi nouum medium constituit. Ad confirmationem sumptam ex præcepto imposito Abraham de filio sacrificando; respondeo, actum illum, si præcise consideretur in ordine ad obedientiam, vel cultum Dei, sic non habuisse aliquid proprium, ratione cuius ad donum pertineat, quia ratio obediendi Deo, ipsumque colendi eadem erat in illo actu, quæ solet esse in virtute obedientiæ, vel latræ, nec respectu illarum virtutum habebat aliquid superans communes regulas virtutis. At vero respectu filij videbatur esse contra iustitiam, vel paternam pietatem, & vnde posuit ad donum pietatis pertinere, quia ut liceret ex peculiari instinctu, vel expresse reuelatione Spiritus Sancti contra communes regulas iustitiæ, & pietatis. Ad aliud de-
Ad exm.
nique exemplum de fide, licet non desint, qui antequam negent, illo concessio, negatur consequentia, quia in fide semper est idem motiuum assentiendi; modus autem propositionis publicus, aut priuatus, interius, aut externus accidentarius est. In actu vero fortitudinis ratio honestatis, quæ per conformitatem ad diuersam regulam sumitur, diuersa est.

De actu pietatis doni.

Circa donum pietatis in primis aduertendum est, in originali hebraico in dicto loco Isaia 11. idem haberi nomen, quo pietas & timor significantur. Vnde de aliqui nimium addicti Hebraicæ veritati, dicunt ab Isaia sex tantum numerari dona, seu actus diuini Spiritus. Et pro dono pietatis ponunt donum timoris, videlicet, spiritus scientiæ, & timoris, & insequentibus verbis idem repetunt, aliter tamen verba illa legunt, quam in vulgata habeantur. Nam ubi nos legimus, *Et replebit illum spiritus timoris Domini*, Vatablus vertit, *Et faciet eum spirare timore Domini*, Pagninus, *Et odorari faciet eum omnes in timore Domini*. Ethos sequitur Adamus ibi dicens, in hebraeo idem esse vocabulum significans timorem Domini, & ita ex hoc loco sex tantum, & non septem colligi dona Spiritus Sancti. Nihilominus tamen septuaginta Interpretes in sexto loco ponunt nomen *εὐσεβείας*, quod pietatem significat, & in septimo nomen *φόβος*, quod significat timorem, & ita etiam vertit Hieron. & hanc versionem, & sententiam Patres omnes supra citati receperunt, & vniuersalis Ecclesiæ consensus probauit: quare nullo modo licet ab hac sententia recedere, neque distinctionem inter illa duo vltima dona negare. Vnde vel credendum est in primitiua Scriptura, quæ vbi fuerit septuaginta, sexto loco fuisse positum nomen significans pietatem, vel (quod verisimilius est) idem nomen habuisse vtramque significationem, & ex traditione, vel eiusdem Spiritus Sancti inspiratione intellectum esse, in priori loco significare pietatem, in posteriori vero timorem.

Hoc vero constituto, etiam nomen ipsum pietatis æquiuocum est. Interdum enim significat pietatem erga proximos, & indigentes, quæ proprie est misericordia, in quo sensu videtur hunc actum interpretari Gregorius hom. 19. in Ezechielem. Aliter pietas proprie significat cultum, seu obseruantiam ad parentes, consanguineos, & patriam. In qua significatione sumitur à Philosophis, & Theologis, ut est apud D. Th. 2.2. quæst. 101. In præsentis vero sumitur pro pietate erga Deum, quæ eadem est cum religione, nam hoc frequentius significat vox græca *εὐσεβεία*, iuxta doctrinam Augustini libr. 12. de Trinit. cap. 1. & libr. 14. cap. 1. Vnde Tertullianus, cum in alijs locis supracitatis nomen pietatis ibi ponat, in libr. 5. contra Marcionem.

cion. cap. 8. legit, & spiritus agnitionis, id est scientiæ, & religionis, pro pietate. Et ita etiam intelligit illum locum D. Thomas 2.2. quæst. 121. artic. 1. ubi ait, pietatem proprie significare honorem, & cultum parentum, & quia Deus singulari modo Pater noster factus est per Christum, ideo per Spiritum Christi nobis donari speciale donum pietatis ad Deum, vt Patrem. Additque insoluit. ad 3. per virtutem religionis exhibere nos cultum Deo, vt creatori, per donum autem pietatis exhibere nos cultum Deo, vt Patri.

15. *Religio acquiri a cultu.*
Aduertendum est autem, licet religio acquisita colat Deum tantum, vt creatorem, & naturalem benefactorem, nihilominus religionem infusam etiam colere Deum vt Patrem, ex illo filiali affectu, quem in nobis generat singularis adoptio per gratiam, iuxta illud ad Roman. 8. Accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Nam hic cultus debetur et Deo, vt Patri secundum ordinariam regulam, & legem gratiæ, seu secundum rectam rationem fide illuminatam, & ideo sine dubio pertinet ordinariæ ad virtutem religionis infusam. In hoc ergo non satis distinguitur hoc donum à religionis virtute infusa, sed oportet adiungere, quod ibi D. Thomas in corpore articuli posuit, Pietatem ad Deum, vt Patrem, quatenus interdu sit per peculiarem instinctum Spiritus Sancti, ad donum pertinere.

16. *Hoc donum pietatis circumscribitur in materia infusa, vt virtus.*
Denique addendum est ex eodem D. Thoma 1.2. q. 68. artic. 4. pietatem hoc modo sumptam non esse ad æquatum actum istius doni, sed per Synecdochen nomine præcipuæ partis fuisse comprehensam totam iustitiæ materiam, seu omnem actionem, quæ est ad alterum, quatenus per instinctum Spiritus Sancti singulariter perfici, & propriæ eius motione fieri potest. Et sic etiam D. Thomas 2.2. q. 121. art. 1. ad 3. ait, sub hoc dono comprehendere etiam pietatem erga Sanctos, & parentes, & ad alios homines, quatenus ad Deum pertinent, vtique prout ista omnia fieri possunt ex speciali motione Spiritus Sancti; alioqui enim etiam illa officia, vt ordinario modo præstari possunt, ad pietatem infusam, duliam, obseruantiam, & misericordiam pertinent.

17. *Hic donum pietatis circumscribitur in materia infusa, vt virtus.*
Denique huic dono pietatis tribuit Augustinus debitam reuerentiam ad Scripturas, non contradicendo illis, siue intelligantur, siue non capiantur, vt lib. 2. de Doctrin. Christian. capit. 7. & lib. 1. de ferm. Domin. in monte cap. 4. Sed hoc proprie, & ordinariè pertinet ad virtutem fidei, & ad virtutem elicientem piæ affectum credendi, quam solemus etiam piæ voluntatis affectionem appellare. Solum ergo poterit ad hoc donum actus ille spectare, quatenus est specialis reuerentia ad Deum, & res diuinas ex instinctu Spiritus Sancti concepta, quæ etiam disponit hominem ad suscipiendas Scripturas cum debita pietate, & subiectione, & consequenter sine spiritu contradictionis. Et quamuis Augustinus hunc actum specialiter explicauerit, quia fortasse instituto illius magis inferuebat, non propterea alios excludit: pertinet ergo ad hoc donum tota materia, seu actio ad alterum, quatenus sub instinctu Spiritus Sancti cadere potest, vt explicatum est.

De actu timoris, vt est donum Spiritus Sancti.

18. *Hic donum pietatis circumscribitur in materia infusa, vt virtus.*
Circa hoc donum ex quatuor expositionibus, quas in principio capitis num. 1. recensuimus, illam maxime probamus, quæ de timore reuerentiali hoc donum intelligit. Nam in primis longe probabilius est, esse specialem actum à cæteris distinctum, alias timor non esset speciale donum, sed quasi collectio cæterorum, vel totius sanctitatis, & obedientiæ ad Deum, vt dicebat quarta expositio, quam in hoc non probamus, quia repugnat communi sensui Patrum, & Ecclesiæ colligentium ex illo loco septem dona Spiritus Sancti. Si enim timor non est

speciale donum, profecto non sunt septem. Item si alia sunt speciales actus, cur non hoc?

De hoc ergo actu certum est, hunc timorem debere esse sanctum, & bonum, quia Spiritus Sanctus non potest esse author timoris prauis. Vnde timorem mundanum non pertinere ad hoc donum, certum est, quia ille de se malus est, & ideo inter dona Dei non computatur, vt dixit Augustinus libr. de Grat. & lib. arbit. cap. 18. Imo nullus timor mali poenæ, vel nocimenti, quod vel ab hominibus, vel à causis naturalibus prouenire potest, ad hoc donum spectat: quia si sit nimius, & cum conditione seruili, videlicet, quia si non timeretur poenæ, non vitaretur culpa, est etiam malus & mundanus: si vero sit intra gradum suum moderatus, vel erit indifferens, vel ad summum, honestus intra ordinem naturalem.

Præterea timor etiam Dei, si seruilis sit, non est huius doni actus, quia si includat conditionem seruilem, etiam est prauus. Et quamuis sit cum debita moderatione, seu appretiatione, licet sit bonus, & à Spiritu Sancto, non tamen est speciale donum, vñum scilicet ex septem, quæ ab Isaia numerantur, iuxta sententiam D. Thomæ 2.2. quæst. 109. artic. 9. Tum quia licet sit bonus, est imperfectus, & non fuit proprie in Christo. Tum etiam quia pertinet magis ad peccatores. Quamuis enim in iustis etiam esse possit, tamen ex imperfectione aliqua: nam perfecta charitas foras mittit hunc timorem, & ideo etiam sine charitate esse potest, vt ait Augustinus libr. de Natur. & Grat. cap. 57. dona autem Spiritus Sancti sunt propria iustorum. Tum etiam quia hic timor est actus proprius spei, vt recte supra obieciatur: cum autem spes sit Theologalis virtus, non indiget dono, quod in sua materia altiori modo operetur, quia virtutes Theologice optimo modo in sua materia operantur, vt paulo post dicemus.

Vnde si aliquando timor seruilis dicitur esse donum Spiritus Sancti, vel late sumitur donum pro omni opere facto ex gratia Spiritus Sancti, vt loquitur Alenf. 3. p. quæst. 66. membr. 2. vel intelligendum est potius causaliter, quam formaliter, quia hic timor solet maxime cohibere inordinatam concupiscentiam delectabilem, iuxta illud Prouerb. 16. In timore Domini declinat omnis à malo, & illud Psal. 118. Confite timore tuo carnes meas. Et ita declarat hoc donum D. Thomas 1.2. q. 68. artic. 4. At vero 2.2. q. 19. art. 9. dicit, hunc timorem esse filialem timorem, sub quo initialem comprehendit, quia hi timores substantialiter non distinguuntur, sed secundum statum magis, vel minus perfectum, & ita etiam timor, qui est donum Spiritus Sancti, prout magis, vel minus perfectus, dicitur initialis, vel filialis. Et idem sentit Richard. in 3. d. 34. artic. 2. quæst. 2. Nihilominus tamen existimo, hunc timorem non aliter esse donum Spiritus Sancti, quam sit charitas, quia timor castus, qui filialem, & initialem comprehendit, est actus elicitus à charitate, vt ex doctrina eiusdem D. Thomæ, & communi suppono, ideoque sicut amor charitatis non est ex speciali dono à charitate distincto, ita nec hic amor.

Quapropter probabilius videtur, donum hoc intelligendum esse de timore reuerentiali. Hunc enim merito à cæteris distinguit Alenf. 3. quæst. 66. membr. 1. dicitque, non consistere in fuga mali, sed esse timorem reuerentiæ magnitudinis diuinæ maiestatis, & 2. p. quæstion. 156. membr. 2. artic. 1. alias quæstion. 17. membr. 1. dicit esse resolutionem, id est, affectum resiliendi à diuina Maiestate, consideratione propria paruitatis. Et hunc esse timorem sanctum, qui manet in beatis, illo enim coram Deo humiliantur, vt de sanctis Angelis idem Author dicit 2. p. quæstion. 101. alias 118. membr. 3. artic. 6. Vnde intelligimus, hunc timorem esse actum humilitatis, vt etiam sentit Alenf. Richard. supra quæst. 4. & Scotus supra, dicens hunc timorem esse speciem temperantiæ, quia est idem, quod

19. Sanctus est hic timor.

Nullus timor mali poenæ ad hoc donum pertinet. Probatur de timore humano.

20. Probatur deinde de timore diuino seruili.

21. Late dicitur Spiritus Sancti donum seruile timoris.

22. Donum hoc in timore reuerentiali consistit.

Hic timor est actus humilitatis.

quod humilitas. Et hac etiam ratione dixit Altrifodorus supra c. 1. q. 3. ad temperantiam reduci hoc timoris donum; humilitas enim præcipua pars temperantiæ est, & ideo sub nomine præcipuæ partis tota temperantia intellecta est, sicut de pietate respectu iustitiæ diximus. Estque hæc sententia consentanea Augustino lib. 1. de ser. Domin. in monte cap. 4. dicenti, *Timor Dei congruit humilibus, de quibus etiam dicitur, Beati pauperes spiritu, id est, non inflati, non superbi, de quibus etiam dicit Apostolus, Noli altum sapere, sed time. Et serm. 17. de Sanctis cap. 1. in eodem sensu dicit, oportere incipere ab hoc timore, tanquam a conuale plorationis. Per conuale autem, ait, humilitas significatur. Quis est autem humilis, nisi timens Deum? Sic etiam D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 26. alias 36. timorem hunc superbia opponit. Per timorem ergo illum humilitas significata est, & sub humilitate tota temperantia intellecta, utique quoad materiam, sicut de iustitia diximus. Nam in omni materia moralium virtutum dona possunt operari altiori modo, ut declaratum est.*

23.
Satisfit
rationi addu-
cta.

Respondetur
ad authori-
tates Patrum
in num. 2.

Et per hæc responsum est ad primam rationem dubitandi in principio positam. Probat enim, hæc quatuor dona reduci ad quatuor cardinales virtutes quoad materiam, non vero quoad essentiam propter diuersam rationem, & modum operandi. Ad Patres autem respondemus, hæc nomina virtutum, & donorum in aliqua significatione generalia esse, quia & omnes actus honesti possunt dici dona, quatenus à Deo donantur, & hoc modo confunduntur inter dum hæc voces, licet inter ipsos actus sit distinctio, ad quam significandam accommodatæ sunt illæ voces sub specialibus significationibus, ut latius infra dicemus, tractando de habitibus. Et ita Ambros. lib. 1. de Spirit. Sanct. cap. 20. cum dixisset, septem illis nominibus significari plenitudines virtutum, subiungit, *Vnum est ergo flumen sed multi spiritualium donorum meatus.* Clarius vero dixit Gregor. 35. moral. cap. 7. *Per dona inueniuntur virtutes.*

24.
Ad 1. confir-
mationem
in num. 3.

Ad primam confirmationem, fatemur illa exempla non tam probationis, quam explicationis, & manuductionis gratia esse adducta. Nec enim D. Th. existimauit Aristotelem cognouisse dona Spiritus Sancti, vel aliquid omnino simile: sed illis exemplis vsus est, ut intelligeremus, posse aliquid excellentius non tantum accidentaliter, sed etiam essentialiter diuersum, in nobis fieri ex altiori instinctu, & motione Spiritus Sancti: quod non solum sit proprium eius in hoc, quod citat hominem, praueniendo eius voluntatem, sed etiam in hoc, quod mouet ad operandum ex quadam altiori ratione, communes operandi regulas superante.

25.
Ad 2. confir-
mationem
ibidem.

Ad secundam confirmationem, quod attinet ad virtutem Theologicam, respondet D. Th. 1. 2. q. 68. art. 4. ad 3. & art. 8. dona supponere vnionem ad Spiritum, quam faciunt theologales virtutes, & ideo has virtutes supponi ad dona, ut radices, & regulas illorum, ideoque & esse perfectiores quibusque donis, & non esse necessaria dona, quæ Theologicos actus efficiant: deberent enim perfectiori modo fieri per talia dona, quam per ipsas virtutes Theologicas, quod esse non potest. Quia virtutes Theologicæ tam ex parte obiectorum materialium, quam ex ratione formali attingendi illa, habent supremam excellentiam, ita ut non possit Deus sub altiori ratione amari, quam per charitatem ametur, & sic de cæteris. Nam omnes immediate nituntur ipsi Deo tanquam obiecto, & tanquam regulæ, & tanquam principali efficienti. Vnde in materia virtutum non inuenitur excellentior modus operandi, quam sit Theologali virtutum, quod non ita est in virtutibus moralibus, ut explicatum est. Ad aliam illius argumenti partem in sequenti capite respondemus.

Ad aliam par-
tem rationis.

CAPVT XXII.

Utrum præter actus virtutum, & donorum sint alij actus supernaturales, ad quos sit specialis gratiæ necessaria, qui beatitudines, vel fructus Spiritus Sancti dicuntur?

IN hoc capite breuiter comprehendemus quæ de beatitudinibus, & fructibus Spiritus Sancti Theologi disputant in 3. d. 35. & copiosius D. Th. 1. 2. q. 69. & 70. quæ ad complementum huius materie visæ sunt necessaria, tum ut soluiamus argumentum in fine capitis præcedentis relictum, tum ut omnia, quæ de supernaturalibus actibus, & gratia ad illos necessaria desiderari possunt, complectamur. Quod Beatitudines ergo ad beatitudines spectat, hoc nomine significatur illi actus, quibus homines beatos fieri Christus docuit Matth. 5. in initio suæ prædicationis, dicens, *Beati pauperes spiritu, &c.* De quibus non defuerunt Theologi, qui dixerint, beatitudines esse actus distinctos à donis, & virtutibus. Ita significat Albert. in 3. d. 34. art. 2. quæstion. 3. Henric. quodlib. 4. quæst. 23. Gerson. tract. de beatitud. Alphab. 28. liter. G. Veruntamen non videntur loqui de distinctione essentiali, sed de accidentali: nam beatitudines esse volunt virtutes in statu perfectio, seu prout actus heroicis eliciunt, ut explicuit Gabriel in 3. d. 34. conclus. ult. Igitur generatim loquendo, dico beatitudines quidem esse bonos, & optimos actus, & adeo excellentes, ut non possint sine gratia speciali fieri, non tamen esse distinctos ab actibus virtutum, & donorum, sed sub illis comprehendi. Prima pars certa est in fide, & ipsius Christi autoritate satis comprobatur: ipse enim non solum laudauit, & commendauit hos actus, sed in eis etiam beatitudinem posuit, non quia in eis formaliter beatitudo consistat, sed quia per illos vera beatitudo comparatur: at beatitudo vera non nisi per actus bonos, & honestos obtinetur: ergo. Et explicando singulos actus id aperte constabit. Vnde obiter intelligitur, quomodo cum beatitudo vna sit, Christus octo beatitudines numeret: nam licet beatitudo formalis, seu in termino sit vna, via tamen ad beatitudinem vel est multiplex, vel plures actus comprehendit, qui causaliter, vel dispositiue beatitudines nominantur, quia ad veram beatitudinem disponunt, ac perducunt.

Et hinc facile probatur secunda pars, quam etiam de fide certam esse iudico, nimirum, hos actus esse supernaturales, & sine gratia Dei fieri non posse. Quia beatitudo à Christo prædicata, & promissa supernaturalis est, & ad illam non nisi per actus diuinæ gratiæ tenditur, sed per hos actus, qui beatitudines dicuntur, ad veram beatitudinem Christianam tenditur: nam per hos actus homines ad illam consequendam optime disponuntur; sunt ergo tales actus, qui sine gratia Dei fieri non possunt. Et hoc etiam aperte conuincitur ex regula supra demonstrata, quod nullus actus conducat ad vitam æternam potest sine gratia Dei fieri: nam omnes isti actus valde conducunt ad vitam æternam, ut ex testimonio Christi constat, & in singulis statim declarabitur. Denique vltima pars, quod illi actus non sint alterius ordinis à virtutibus, & donis, ab omnibus Theologis recepta est. Et probatur, quia illa distinctio nec in Scriptura, nec in Patribus significatur, nec est necessaria, cum illa omnia, quæ à Christo beatificantur, fieri non possint, nisi vel secundum ordinarias regulas fidei, id est, secundum rectam, & perfectam rationem fide illustratam, vel secundum instinctum, & specialem motionem Spiritus Sancti. Quia ratione vsus est Diuus Thomas dicta quæst. 69. articul. 1. præcipue ad 2. ubi autoritate Augustini idem confirmat. Sed hæc omnia magis illustrabun-